non a presentis uite supplicio liberet. quo si pena presenti homines liberarentur per baptis-
mum ipsum putarent baptismi premium non illud eternum. Ergo soluto reatu peccati
manet tamen quedam temporalis pena. ut illa uita feruentius requiratur que erit a penis
omnibus aliena. Nullus negat fidelium esse post baptismum que peccata deleantur co-
tidie quamdiu in isto seculo sumus. ad deum nos debere conuerti. quod quamuis sine
intermissione sit cotidie agendum. numquam tamen fuisse sufficiet. Qui in matribus
uteris sunt ideo cum matre baptizari non possunt. quia qui natus adhuc secundum
adam non est renasci secundum christum non potest. Neque enim dici regeneratio in eum poterit.
quem generatio non precessit. Qui intra ecclesiam non ex dignitate ecclesie uiuunt. sed fidem
quam uerbo tenent. operibus destruunt. de ipsis legitur. multiplicati sunt super nume-
rum. ut subaudias in regnum predestinatorum. Qui scelerate uiuunt in ecclesia.
et communicare non desinunt. putantes se tali communione mundari. dis-
cant nichil ad emundationem proficere sibi. Dicente propheta. quid est quod dile-
ctus meus in domo mea fecit scelera multa? Numquid carnes sancte auferent
a te malicias tuas? et apostolus. probet in quid se homo. et sic de pane illo edat et calice
bibat. De martirio. 7.9

Dei seruus ad usitate ulla non frangitur. sed pro ueritatis defensione ultro se cer-
tamini offert. nec umquam pueritate diffidet. Sepe ex discipulis ad mar-
tirium eligunt. qui suos doctores ad coronam precedunt. Et qui sunt ordine
postremi fiunt non numquam in certamine primi. Vir sanctus ultro se in agone pro
certamine debet offerre iusticie. sed tamen si agonis fructum uidet uberrimum
non debet declinare laboris periculum. Quod si maior est labor quam anime lucrum
declinandus est labor quem minimum comitatur augmentum. Utrumque enim
fecit apostolus quando et periculis se ultro dedit. ubi maximum anime lucrum uidit. et sapi-
enter se periculo abstulit in quo pociorem laborem quam lucrum esse prospexit.
Ultro se paulus apud ephesum periculis obtulit. quia pociorem periculo lucrum
uidit. Damasco autem ideo a periculo subtrahit semetipsum. quia nullum peri-
culum ipsius arbitratur esse fructum. Discite quomodo se ad martirium offerat quisque
ultro. et quomodo iuxta sententiam domini cingatur ab alio. et quo non uult ipse ducatur.
Nisi quod et propter gloriam futuram de certamine iustus gaudet. et propter passionis ui-
olenciam refugit subire quod dolet. Accipe exemplum adeundi sub trepi-